

obliquam quo ad hoc, quia non elegerunt, ut regeret, sed ut vitarent mortem, ut sic sonet ista obliquitas in vicium ex parte electionis et non ex parte eligencium. Igitur etc.

Nec obstat quod domini cardinales aliqui scripserunt quibusdam principibus, quia certum est quod actus subsequens non viciat nec rectificat actum precedentem, qui iam transit in preteritum, antequam actus subsequens nasceretur; omnia etiam quamdiu fuerunt in Roma fecerunt metu mortis.

Duodecimo, quia non maioris perfeccionis fuerunt domini cardinales tempore electionis quam fuerint apostoli tempore passionis Christi; patet ista, quia apostoli ante receperant gratiam et Spiritum sanctum ad suorum peccatorum remissionem, ad mortuorum resuscitacionem, ad demoniorum expulsionem et ad infirmitatum curacionem, prout patet Mathei X., licet tunc non fuerint in gratia confirmati. Sed apostoli tempore passionis Christi propter metum mortis non fuerunt ausi confiteri veritatem de Christo, quousque fuerunt congregati in conclavi ubi receperunt Spiritum sanctum ad robur, et ex tunc intrepide confessi fuerunt veritatem. Igitur non fuit mirum de dominis cardinalibus, si metu mortis, quamdiu fuerunt in illo metu in Roma, non fuerunt ausi confiteri veritatem, sed transeunte illo metu, postquam fuerunt in conclavi et habuerunt deliberacionem ad invicem simul congregati, viderunt clare veritatem eorum que fecerant decernentes quod id quod factum fuerat non habuerat roboris firmitatem, et tunc unanimes elegerunt dominum Clementem VII<sup>m</sup> etc; patet igitur quod prima electio nulla fuit. Quod confirmatur, quia nulla forma contenta extra de electionibus ca[pitulo] Quia propter, ubi omnes forme ponuntur, fuit observata, nec quecumque alia reducibilis ad unam illarum. Igitur nulla fuit prima electio. Antecedens patet, quia in tanto tumultu et metu mortis nulla forma potuit observari, et consequencia patet, quia nulla alia forma est debita nec iuridica, nisi una illarum contentarum in dicto capitulo, vel reducibilis ad unam illarum. Igitur etc.

### Congregatio Hispano-Benedictina alias Sancti Benedicti Vallisoleti.

Auctore D. Fausto Curiel, O. S. B. Hispano-Casinensi P. O.

(Continuatio ad fasc. III. 1909, pg. 345 - 363.)

#### § III.

Monasterium S. Zoili de Carrion.

Post duo supradicta coenobia ordine auctoritateque sequebatur illud S. Zoili de Carrion, in dioecesi Palentina situm juxta flumen a quo nomen desumpsit. Initia ejus latent, tantumque noscitur

antique dedicatum fuisse S. Joanni Baptistae usque dum delata sunt ex Corduba reliquiae SS. Martyrum Zoili et Felicis, quas Rex Maurus tradidit Ferdinando Gomezio fundatorum filio.<sup>1)</sup> Ex hoc proculdubio deducitur Monasterium jam extitisse, et videtur comites Gomezium Diaz uxoremque ejus Theresiam fuisse tantum restauratores, maxime si admittitur conjectura quorundam scriptorum, qui ex codice in hoc Monasterio invento, et an. 948 sub abbate Theodomiro scripto, censent ad illam aetatem quoque Coenobium pertinere.<sup>2)</sup>

Paulo post translationem SS. Martyrum Zoili et Felicis Monasterium Carrionense sub observantia Cluniacensium subjectum apparet, nempe an. 1047, ut constat ex instrumento annexionis, quam fecit eo anno, idibus martii, comes Gomezius, tradens et subjiciens Carrionensi Coenobium et hospitium SS. Facundi et Primitivi et S. Christophori de Arconda, seu Alconada, „secus stratam . . . euntium vel regredientium Sancti Petri et Sancti

---

<sup>1)</sup> Non levis est difficultas in concordanda chronologia hujusce translationis et instrumentorum, quae exhibentur. Vide Florez, »España Sagrada«, t. X, pag. 325 seq. edit. Matrit. 1792. Yepes omittit in Appendice Scripturarum illam, quam in opere promisserat (VI, 73v) forsitan in ea mendum aut difficultatem inveniens. Morales, »Viaje«, pag. 30.

<sup>2)</sup> Yepes, VI, 74: Morales, »Crónica«, lib. XVI. cap. XVIII; »Viaje«, pag. 32. Iuxta Ms. quod asservatur in Monasterio Samonensi supradictus Abbas Theodomirus, relicta Corduba circa an. 918, pertransiit ad loca Christianorum, novumque Coenobium condidit, indicens ei nomen prioris Monasterii, nempe S. Zoili Cordubensis, quod fundatum fuit occasione inventionis clarissimi hujus martyris tempore S. Agapii Episcopi (613), quem Ordini nostro adscribit. Hoc jam aliquid saporis pseudo chronicorum habere nobis videtur, maxime cum similia inveniantur in Argaiizo (»Soledad laureada«, t. II. pag. 173 seq.), qui pariter foundationem Coenobii Cordubensis sub Regula benedictina ad hoc tempus refert. Postea dictum Ms. nonnullos Abbates commemorat, scilicet Paternum (an. 630), Perfectum (680) et Eustaquium, qui obiit in exilio an. 717, et, quod magis mireris, Sperandum (840), Sanctum Eulogium (!) et Samsonem tempore Maurorum. Haec proculdubio falsa sunt et inaudita usque modo, et minime conciliari possunt cum iis quae ab authoribus tam antiquis, quam hodiernis melioris notae traduntur. Pergit deinde Ms. et foundationem novi Coenobii sub titulo S. Zoili referens, seriem Praelatorum tradit usque ad adventum Cluniacensium; scilicet, post Theodomirum intravit Perfectus II († 952) quem secuti sunt Abilis († 961), Munius († c 977), Babilas († 1020), Miro, qui postea fuit Episcopus Palentinus, Didacus I († 1060), Arnaldus (hispanus hic?) † 1065 et Miro II, ultimus praelatus hispanus. Miramur valde quod haec diligentiam effugissent clarissimorum virorum nostrorum Sandovalii, Yepesii et Cardinalis Aguirre, sed et monachorum, qui Auctoribus »Hispaniae Sacrae« tradiderunt ea, quae ad S. Zoilum pertinebant. Sed nonnulla exstant, quae nobis saltem suspecta, ne dicamus quoque falsa, videntur; etenim proculdubio constat ex instrumentis a cl. Yepesio in medium productis primam hujus Coenobii advocacionem fuisse titulo S. Joannis Baptistae, quam mutavit post translationem S. Zoili saeculo XI factam. Adventus Cluniacensium etiam nimis protrahitur, nam ex scriptura, quam in App. tom. VI. Yepesii nostri habemus, an. 1047 apud Carrionem Deo jam inserviebant illi monachi. Cf. »España Sagrada«, VIII, 32; XVI, 325 seq. Morales »Crónica«, lib. XVII, cap. 48.

Jacobi Apostoli.<sup>1)</sup> Multis aliis Coenobiis ac possessionibus ditatum fuit tum a restauratoribus, tum ab ejus posteris aliisque personis, quae singulariter referentur a cl. chronographo Yepesio. Praeter supradictum Coenobium de Arconada praecipua fuere „Valcavado“, in quo requiescit corpus praeclarissimi confessoris et fidei propugnatoris S. Beati, O. N.<sup>2)</sup>, S. Romanus de Entre-peñas, cujus superest memoria ad an. 940, nempe testamentum comitis Didaci Muñoz, uxorisque suae Trigidiae, factum aera DCCCCLXXXVIII, regnante Domino Ramiro principe in Legionem, concessumque Abbati Lecinio cum fratribus suis ut „monasticam vitam secundum docet S. Benedicti regula ibidem exercere“ valeant et curent.<sup>3)</sup> Hoc pertinuit ad Congregationem Cluniacensem, sicut et S. Pelagius de Toro, olim numero fratrum et opibus pollens, postea Commendatariorum avaritia eversum,<sup>4)</sup> quod etiam contigit S. Salvatori de Villaverde, seu de Bolpejera, aliquando Cluniacensi immediate subjectum et deinde inter Carrionenses Prioratus adnumeratum.<sup>5)</sup> Valde nobile fuit etiam Coenobium S. Martini de Fromista, quod aedificandum curavit (a. 1066) mater Ferdinandi I, Castellae Regis, Domina Major, quae post mortem mariti Sancti Majoris, Navarrae principis, religiosam vitam ibidem duxit,<sup>6)</sup> et postea Carrionensi traditum est an. 1118 ab Hurraca, Alphonsi VI filia, Legionis et Castellae Regina. In eo contigit die 25 Septembris an. 1453 magnum miraculum, siquidem sacra Forma homini infirmo delata ita patenae adhaesit ut nullatenus extrahi aut removeri posset, sicque tempore Yepesii adhuc permanebat.<sup>7)</sup> Denique postremus ex Prioratibus Carrionensi Coenobio subjectis fuit ille Stae Mariae del Brezo, in quo maxima populorum devotione colitur Imago B. Mariae V. miraculose ibidem an. 1478 inventam<sup>8)</sup> Maxime quoque in honorem Coenobii Carrionensis cedit quod ex eo selecti fuerint primi Ecclesiae Cathedralis Vallisoletanae cano-

<sup>1)</sup> Yepes VI App. Escritura XIII, pag. 459 v. Madoz, »Diccionario«, etc. II, 474.

<sup>2)</sup> Yepes III, 282; VI, 85; Morales, »Viaje«, pag. 52; Crónica, lib. XIII, cap. 27. Risco, »España Sagrada« XXXIV, 378—389. Argaiz, »Soledad, laureada«, VI, 163.

<sup>3)</sup> Yepes, VI, 84; App. Escritura XV. pag. 460; Argaiz, »Soledad«, VI, 149.

<sup>4)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 85.

<sup>5)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 87.

<sup>6)</sup> Morales, »Viaje«, pag. 28—29 Berganza, »Antigüedades«, II, pag. 24; Yepes, loc. cit. pag. 85; App. Escritura XVI, pag. 460 v; Cuadrado, »Recuerdos y bellezas de España«, Valladolid etc. pag. 351; Madoz. Diccionario geográfico-estadístico-histórico de España, tom. VIII, pag. 195, ed. Madrid 1850.

<sup>7)</sup> Cf. Auctores cit.

<sup>8)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 88; Argaiz, op. cit. VI. 222; Hevia (Dom, O. S. B.), Relación histórica de los Sanctuarios célebres de Covadonga, El Brezo y La Saleta, Lérida, 1868, en 8º, pags. 57—87.

nici, qui ob hanc rationem aliquando sub regula S. P. Benedicti regulariter convixere.<sup>1)</sup>

Ex dictis satis apparet praestantia Monasterii Carrionensis, quod inter praecipuos Congregationis Cluniacensis Prioratus computabatur, ideoque multoties Praelatus ejus designatus fuit Camera-rius, seu Vicarius pro Abbatibus Cluniacensibus in iis quae ad gubernium directionemque monachorum hispanorum ab ipsis dependentium pertinebant. Primus Praepositus, cujus exstat memoria, missus a Sancto Odilone, vocatur Arnaldus, subscribitque instrumento a comitibus Carrionensibus Asceterio de Arconada concesso.<sup>2)</sup> Post eum intravit egregius Petrus Virila, qui monachos pro Ecclesia Vallisoletana instituenda misit, et postea in Abbatiam Charadignensem promotus claruit.<sup>3)</sup> In ejus locum elegerunt Stephanum, quem Regina Hurraca vocat „amicum fidelissimum“, quo tempore Carrionense Coenobium a Rege Aragoniae Alphonso semel et iterum occupatum fuit; quod et ipsa Regina recuperatum invisit ann. 1113 et 1116.<sup>4)</sup> Ipso etiam hoc Coenobium moderante, habitum est in eo celebre Concilium, adstante Romani Pontificis Legato Humberto et Legionis ac Castellae Rege Alphonso VII, cum multis Episcopis, ex quibus tres depositi sunt, nempe Legionensis, Salmanticensis et Ovetensis necnon et Abbas Samonensis, qui conjugium Regis illegitimum esse viriliter asserabant.<sup>5)</sup> Joannes (1220—47) specialiter charus fuit Sancto Ferdinando Regi, qui plura contulit beneficia Monasterio Carrionensi „ob reverentiam, inquit, amici mei Abbatis Cluniacensis, nec non et intuitu gratissimi servitii quod vos, Joannes Prior Carrionensis et Hispaniae Camerarius, eundo in Alemaniam pro charissima uxore mea Regina Beatrice, filia Philippi, quondam Regis Romanorum, nobis exhibuistis“. <sup>6)</sup>

Sed non omnes Praelati Carrionenses eadem laude digni fuere, neque tales semper habiti sunt ut vices gererent pro Cluniacensi Praelato, a quo paulatim processu temporum recesserunt. Itaque anno 1435, instante Joanne II, Castellae rege, Eugenius IV Priorem Gundisalvum Martinez de Cebatos ad Abbatialem dignitatem evexit, suosque successores pari frui auctoritate constituit;

<sup>1)</sup> Sandoval, »Fundaciones«, Cardeña, pag. 50; Sahagun, pag. 63.

<sup>2)</sup> Yepes, App. Escritura XIV. p. 469 v.

<sup>3)</sup> Sandoval, loc. cit. Berganza; »Antigüedades de España«. I pag. 583 edit. Matrit. 1719.

<sup>4)</sup> »Historia Compostellana«, edit. Florez »España Sagrada«, XIX. pag. 155, 225 etc. Migne, P. L. CLXX col. 972 etc. Cf. Berganza, op. cit. II, 13, 19, 24, etc.

<sup>5)</sup> »España Sagrada«, XVI, 200; XXXV, 180; XIX, 307; XLI, 14; Hist. Compost. edit Florez, pag. 497; P. L. loc. cit. col. 1177 78. Hoc concilium deest in Collectione Cardinalis Aguirre, Acta enim ejus adhuc incognita erant P. Risco. Cf. España Sagrada, XXXV, 181.

<sup>6)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 89.

deinde an. 1439 concessit ut monachos apud Carrion habitum susciperent novitiatumque perficere ac professionem ibidem emittere possent, quod profecto magnum beneficium huic Coenobio fuisse manifestum est, nisi postea in manus Pseudo — abbatum deveniret, qui commendatio nomine illud pene destruxerunt. Hac de causa, ut de istorum manibus effugere valeret Conventus Congregationi Vallisoletanae se adscribere censuit tentavitque anno 1507, aliquos monachos a monasterio Vallisoletano efflagitans, quos et in se cooptavit, quin tamen adhuc Praelatum regularem obtinere posset usque ad mortem Joannis de Fonseca, Episcopi Burgensis; tunc enim Carolus V, Imperator, qui hanc reformationem totis viribus promovebat, ut jam alibi dictum est, voluit ut hujusmodi deformitas in Monasterio Carrionensi cessaret, electionemque P. Francisci de Atienza, hujus loci monachum an. 1524 factam probavit, qui tamen dignitate sua pacifice frui non valuit, neque successor ejus Didacus de Sahagun (1525—32), quia Clemens VII Abbatiam commendaverat cuidam Petro Strozzi, florentino, qui paulo post ignoto cuidam scholastico viginti duorum annorum, apud Salmanticam degenti, eam cessit. Conventus autem Congregatioque Vallisoletana contra hujusmodi commendata restitere, donec tandem imberbis ille Pseudo-abbas resignavit, tametsi reservata pensione vitalitia, qua Monasterium liberum evasit, et ejus unio Vallisoletanae Congregationi perfecta et confirmata per Decretum illius Pontificis, datum die 16. augusti anni 1532.<sup>1)</sup>

Primus, itaque abbas ex reformatione constitutus fuit Cl. Magister Alphonsus de Virues, monachus ejusdem Coenobii, vir doctissimus et Carolo Imperatori maxime charus, qui eum secum ob doctrinae laudem in Germaniam detulit, ubi Alphonsus adversus Melanthonem quasdam *Philippicas* scripsit ad illius errores confutandos; deinde in Hispaniam reversus ad episcopatum Canariensium insularum promotus est.<sup>2)</sup> Successorem habuit Gasparem de Villaroel, Sahaguntinum, qui magnam claustrorum fabricam tantopere ab architectonicae artis peritis celebratam inchoavit (1535).<sup>3)</sup> Rodericus de Corcuera, electus anno 1553, matheseos scientia inter primos sui temporis viros clarus, opera incepta prosequutus est, ac praeferea nonnullas inventiones ingenii sui perfecit, tametsi dolendum quod morte praeventus ea imperfecta reliquerit.<sup>4)</sup> Sebastianus de Encinas, Montserratensis, sex annis, quibus apud Carrion praefuit, praeter claustrorum prosecutionem, Comitum Carrionensium, sepulchra quae in latere Ecclesiae minus

<sup>1)</sup> Yepes, loc. cit.; »Motivos Legales« . . . pag. 435.

<sup>2)</sup> Yepes, loc. cit, pag. 90. v; Argaiç, »Perla de Cataluña«, pag. 445, 482; Gams, pag. 22.

<sup>3)</sup> Yepes, pag. 91.

<sup>4)</sup> Yepes, loc. cit.

decore apparebant, in nobiliorem transtulit locum, quem adornari curavit.<sup>1)</sup> Tempore Ambrosii de Najera (1577) studia theologica in hoc Coenobio tradi videntur, nam Xepes gloriatur quod ibi praeclaro isto potitus fuerat magistro, ejusdem domus monacho, qui obiit an. 1582 relictis nonnullis ingenii proprii monimentis.<sup>2)</sup> Tandem opus, per Gasparem Villaroelem inchoatum, compleverunt Alphonsus Barrantes, bis hujusce Monasterii, cujus filius erat, Praelatus, primo per sexennium ab an. 1601 ad 1607, deinde an. 1610—13, et postea Congregationis Moderator (1613—17); ejusque successor Joannes Diaz, bis quoque Abbas Carrionensis (1613—17; 1621—25), et pariter Congregationis praesulatu an. 1629 remuneratus, quem gerens vitam finivit anno 1631, cui ad superos praecesserat Rmus. Barrantes an. 1627.<sup>3)</sup> Supremam itidem Congregationis suae Praelaturam adepti fuere Alphonsus Gomez de la Torre (1685—89), postea Episcopus Tudensis, in odore sanctitatis defunctus an. 1722,<sup>4)</sup> et Fulgentius Campo (1828—32), qui Coenobium suum jampridem gubernaverat finiente saeculo XVIII (1797—1801).

Inter viros illustres claruerunt et memoria digni sunt Rmus. Alphonsus Mier, Magister Generalis et Congregationis Procurator in Curia romana, et pro meritis suis Supremae Inquisitionis et Sacrorum Rituum Consultor, qui abbatiam S. Pauli de Urbe, propriamque Carrionensem recusavit, ubi post regressum decessit (an. 1701): item Ferdinandus Gonzalez, conversus, natione lusitanus, oratione, abstinentia, atque charitate in pauperes insignis.<sup>5)</sup> Litteris Coenobium suum nobilitarunt, praeter memoratos Alphonsum Virues, Ambrosiumque de Najera, Antonius de Sancto Romano, Bernardus de la Peña, Joannes Cisneros, aliique de quibus capite sequenti, Deo auxiliante, agendum est.

Tempore gallicae irruptionis in Hispaniam Carrionensis domus, aequae ac reliqua Coenobia, multa passa est, maxime ob exercituum iterata praelia, quae in illa regione contingere. Rmus. Abbas Ramirus Carpintero, a Sta Christina de Valeix, dioecesis Tudensis, hujusque domus monachus ab an. 1772, occisus est jussu magistri militum gen. Tornier.<sup>6)</sup> Post illam tempestatem reliquorum Coenobiorum sortem habuit usque ad 1835, quo cuncta suppressa fuere, cum hoc regebat Rmus. P. Placidus Trevijano, Calagurritanus, cujus exitus circa 1873 accidisse censemus. Con-

<sup>1)</sup> Cuadrado, «Recuerdos y bellezas de España», Valladolid, Palencia, etc. pag. 339 seq.; Yepes. l. c. Argaiz, «Perla de Cataluña», pag. 411.

<sup>2)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 92.

<sup>3)</sup> Cf. Studien, 1907, pag. 316.

<sup>4)</sup> Studien, 1907, pag. 325.

<sup>5)</sup> Yepes, loc. cit. pag. 92 v.

<sup>6)</sup> Pavia, «Historia de Sahagun» Ms.

ventus Carrionensis initio saeculi hujus quinquaginta quatuor monachis constituebatur, duobusque fratribus conversis. Ex illis Placidus Emelgo, bis Coenobium hoc rexit (1805, 1818), semelque Ovetense, bisque inter Definitores adnumeratus est (1814 et 1824); Isidorus Lopez baculum pastorale post expletum concionatoris munus in proprio Coenobio adeptus est (1824), et postea in Sto., Petro de Villanova (1828); Froylanus Guitian<sup>1)</sup> eodem itinere ad Abbatialem dignitatem in Collegio Podiensi exercendam pervenit (1828), postquam Definitor salutatus est in Capitulo an. 1832; Bernardus Garcia, iisdem temporibus abbatiale munus gessit (1828) apud Carrion, et postremo (1832) Congregationis Visitator factus est ac Vicarius Monialium S. Pelagii Ovetensis; dum Petrus Celestinus Mielgo Concionatorium officium tum in suo Coenobio, tunc apud Burgos exercebat, et Romualdus a Sta. Maria in Collegio Exlonzensi Regentis partes adimplebat. Ex superstitionibus anni 1835 excellere Dominicus de Silos Hevia, Ecclesiae Collegialis Numantinae Canonicus emeritus, qui virtute ac doctrina praeclarus ibidem vitae cursum implevit die 5 Aprilis 1882,<sup>2)</sup> et Petrus de Aragon, qui anno 1849 in Australiam cum Antistite Jos. Bened. Serra, O. S. B. transgressus, postea in Ceylanam Missionem an. 1856 perrexit, ubi plurimis in conversione infidelium laboribus exantlatis meritisque plenus ad aeternam requiem vocatus est circ. 1864.

Claustra Carrionensis Monasterii mira structura saeculo XVI renovata sunt, hodieque adhuc proprios extraneosque in admirationem rapiunt propter pulchritudinem operis, imaginumque Patriarcharum Veteris Testamenti virorumque illustrium Ordinis nostricae diversis ordinibus insculptae sunt. Monasterium postea traditum est Patribus Societatis Jesu, qui modo illud occupant.<sup>3)</sup>

#### § IV.

##### Monasterium S. Claudii Legionensis.

Pauca parumque certa sunt quae de hoc Coenobio scribi possunt. Profecto antiquissimum fuit et tempore Gothorum extitisse constat, ut colligitur ex martyrio S. Vincentii, ejus Abbatis, qui saltem anno 584 sub Leovigildo rege Ariano, duceque ipsius

<sup>1)</sup> Fuit et alius Guitian (Thomas), monachus montserratensis, ind. 16 Jun. 1.92, ac proinde coetaneus, nam Froylanus habitum induerat die 15 maji 1791: postea invenitur alius ejusdem cognominis, monachus Samonensis, ind. 15 nov. 1825; hic fuit canonicus Segroviensis (1868).

<sup>2)</sup> Solis (Protasio Gonzalez), »Memorias Asturianas«, Part. I, pag. LIV, CVII; Part. IX, pag. 577 seq. etc. edit. Matriti 1890. »Necrologia de la Academia bibliografico-mariana«, Lérida, 1884, pag. 47.

<sup>3)</sup> Cuadrado, opus cit. pag. 342—343, et alibi. »Diccionario geográfico-universal«, tom. II, pag. 582, edit. Barcin. 1830; Madoz, »Diccionario geográfico-estadístico-histórico«, tom. V, pag. 620, edit. Matrit. 1849. Ponz (Ant.) »Viage de España«, tom. XI, pag. 183 seq. edit. Matrit. 1783.

Rechilla passum esse creditur.<sup>1)</sup> Tunc hoc Coenobium destructum est, sed certo non constat an tempore, quo Gothi catholicam fidem sectabant, sit reconstructum, tametsi authores hoc affirmant, cui sententiae favere potest tum lapidis inscriptio, quae in sepulchro Sancti Martyris posita est, quando corpus ejus „Demonstrante Deo“ repertum videtur,<sup>2)</sup> nam impossibile credimus tunc contigisse martyrium, nullis extantibus haereticis in regno gothorum, qui catholicam fidem jamdiu profitebantur, tum revelatio monachis facta per S. Vicentium tempore maurorum ut sacrum ejus corpus ac semetipsos, si vellent, ex illo periculo eriperent.<sup>3)</sup> Recuperata

<sup>1)</sup> Baronius, »Annales«, VII, col. 878, edit. Mogunt. 1601, (qui tamen postea martyrium reposit an. 630, VIII, col. 386): Mabillonius, »Annales«, I, pag. 187; »Acta Sanctorum O. S. B.«, I, pag. 287; Aguirre, »Collectio maxima Conciliorum omnium Hispaniae« III, pag. 221 ubi sequentia scribit: »De Rege ac tempore quo Vicentius Martyrium subiit tres legimus Auctorum sententias. Prima id factum esse asserit sub Riciliano Suevorum Rege, hujus nominis secundo, circa annum Christi DLIV uti Yepes in Chron. Benedict. censet. Altera est Baronii, S. Vicentii Martyrium ad Regem Leovigildum referentis an. DLXXXIV. Postrema est Ambrosii Moralis, Joannis Marianae et aliorum, qui Eram DCLXVIII. seu annum Christi DCXXX assignant. At cum sententia de duobus Ricilianis nullo veterum nitatur fundamento, et Suevorum in Gallaecia imperium anno DLXXXVI extinctum penitus atque sublatum jam esset, Baronio potius accedimus. Certe Joannes Biclarensis in Chronico an. IV Tiberii, qui est Leovigildi XII refert, Leovigildum in urbem Toletanam Synodum Episcoporum sectae Arianae congregasse et antiquam haeresin novello errore emendasse. Quae optime quadrant iis, quae hic de synodo narrantur.« Haec ipsa verba habentur transcripta in Actis SS. Ord. S. Bened. I, 287. Sententiae Baronii adhaeret inter hodiernos scriptores Emmanuel Murguia in »Historia Gallaeciae«, tom. III, ubi pariter rejicit novam Suevorum Regum seriem ab Hieronymo Roman introductam, quem secutus est noster Yepes. (Cf. pag. 122 seq. 123 nota; 270, seq.) Illam tamen impugnavit P. Risco (España Sagrada, XXXIV, pag. 365) utpote suspicione tantum scriptorum fundatam, ac proinde ipse aliam viam sequens, et actis seu potius historia martyrii S. Vicentii innixus censet illud contigisse sub Reciliano rege qui anno 448 regnabat. Sed habemus ex Idacii Chronico praedictum Regem in gentilitate mortuum, non vero in Arianismo, quod bene notat idem P. Risco, qui ut se ab hoc impedimento expediat, respondet Acta esse interpolata. Quod si ita est, quare non dicendum interpolationem potius esse in nominibus Regum, quae in illis inveniuntur, cum coetera omnia periodo arianae pravitatis apprime conveniant? Tandem Masdeu (Joan. Franc.) Yepesii sententiam secutus est, quin subintroductos reges admittat. (»Historia critica de España«, XI, 130.)

<sup>2)</sup> Quid sentiendum sit de illa inscriptione seu epitaphio quod, ut verbis utamur nostri Cardinalis Aguirre »neque relatu dignum ducimus«, vide Yepesium, I, 178, »Ex eo decepti sunt Morales et alii ut in an. DCXXX rejicerent S. Vicentii Martyrium quod Era DCLXVIII contigisse praefata inscriptio fallit« Aguirre, loc. cit. Cf. »España Sagrada«, XXXIV, 362, 371.

<sup>3)</sup> Magna est difficultas definiendi tempus, quo haec revelatio contigit. Communiter creditur S. Ramiro priori factam fuisse paulo post mortem S. Abbatis, quo admonente ille cum duodecim monachis mansit et mortem pro fide pariter subiit, dum alii fuga sibi consulere in Galleciam pergentes ubi, aliud monasterium sub S. Claudii advocacione excitaverunt, quod sua difficultate non caret cum praedicti Coenobii fundatio ex instrumentis an. 928 facta sit, praeterquam quod si, ut Roman et Yepes volunt, tunc Suevi haeresim Arianam sectabant, non erat

saeculo VIII a christianis civitas Legionensis, iterum ipsi templum SS. Martyrum Claudii et sociorum ejus, quibus antiquitus dedicatum erat utpote super eorum cinera constructum, restaurare curarunt, sed postea, ut ex testamento Ordonii III patet, flammis destructum est, remansitque tantum „Camera Christi illesa“, ubi sanctorum martyrum erant recondita. „Transactis temporibus“ successit in regno Ramirus II, qui „praevicens ipsum esse sanctissimum locum, compunctus a Domino, Ecclesiam construxit atque in melius transformavit.“ Monachos vero ibidem adhuc non esse censemus, ex eo quod ipse Ordonius deinde dicat: „vidimus supramemoratam basilicam manentem sine regimine et absque ibi aliqua fuisse doctrinam timentes.“ Quapropter piissimus princeps „ne ad pristinam veniret destructionem“ haec Ecclesia, fecit praedictum „testamentum seu concessionem“, qua eam tradit „Cathedrali Sanctae Mariae, et ejus Pontifici Domino Gundisalvo Episcopo, ibidem in sancta et castissima vita degenti,“ simulque cum ipsa, cuncta aedificia, terras vineas hortos et omnia quae ad illam pertinebant „secundum ipsam Ecclesiam obtinuit Abinazar presbyter et postea alii plures post eum;“ hancque concessionem facit rex „pro victu atque vestimento monachorum ad ipsam Ecclesiam Deo deservientium,“ quia nimirum Ecclesia Legionensis tunc vitam regularem secundum regulam S. P. Benedicti servabat, quam etiam professus erat Episcopus Gundisalvus, qui antea fuerat monachus et Abbas Monasterii de Cellariolo.<sup>1)</sup> Absonum non erit credere Capitulum Legionense posuisse ibidem monachos ex ejus sinu desumptos, quia praedictus rex paulo post subjungit: „Si quis vero adveniens habitare et degere in vita sancta vel sub monasticha volens voluerit vita sub ditione et regimine vestro vel Pontifice, qui post dicessum vestrum in Pontificali ordo (?) surrexerit, habitet et pro nobis ad Dominum preces fundat . . .“<sup>2)</sup>

Praedictum „testamentum“ factum est anno 954, et non multo post restauratio Monasterii, juxta pium regis desiderium, adimpleta videtur, nam circa finem hujus saeculi, quo destructio urbis Legionensis occurrit Almanzor's opera, Monasterium S.

---

locus tutus ad persecutionem arianorum vitandam. Alii censent hujusmodi S. Abbatis monitum contigisse tempore mauricae dominationis, tuncque monachos in Asturias cum corpore S. Abbatis transmigrasse (Card. Aguirre, loc. cit.) Tandem non desunt, qui dicant, haec omnia in ingressu Almanzor's reponenda, quod improbabile omnino est, atque historicae veritati contrarium, nam ob miraculum quod apud S. Claudium tunc factum est, Monasterium incolume a maurorum furore evasit. Cf. »España Sagrada«, loc. cit. Morales scribit (lib. XVII cap. XXIII) tunc temporis corpus S. Vincentii in Ovetum delatum fuisse.

<sup>1)</sup> Cf. Studien 1909; »España Sagrada«, XXXIV. 256, 264.

<sup>2)</sup> Yepes, I. Append. Escritura XI; »España Sagrada«, loc. cit. pag. 359; Append. p. 457.

Claudii, in suburbio positum, insigni miraculo liberatum est, etenim impius maurus templum SS. Martyrum temerario ausu ingredi cupiens prohibitus est, quia aequus ejus in ipso limine crepuit medius, dum Abbas et conventus in Ecclesia preces ad Deum ferventissime dirigebant. Hoc miraculo permotus barbarus a proposito destitit indeque recessit et „tentorium suum cum illis insigniis quae hodie in apice turris Sancti Claudii erecta cernuntur et duodecim pretiosi panni cappas devotione qua potuit offerre curavit“: deinceps ejus successores numquam ad praedictum locum accedere ausi sunt.<sup>1)</sup>

Ex eo tempore Coenobium Legionense pacifice cursum perfecit, nihilque notu dignum invenimus usque ad annum 1173, cum „XI Kalendas Maji iacintus tempore legationis suae, ad Legionensem urbem veniens ad preces regis illustris memoriae Ferdinandi (II) et Joannis Legionensis Episcopi, et Pelagii Abbatis S. Claudii,<sup>2)</sup> et Legionensis populi, corpora SS. Martyrum Claudii, Lupercii et Victorici, de humili loco, quo condita fuerant, Compostellano Archiepiscopo et Bracharensi, Ovetensi Episcopo, Astoricensi, Zamorensi, Salmantino et Lucensi praesentibus et duodecim Abbatibus et multa Clericorum et laicorum turba circumstante, super altare ejusdem Ecclesiae devote reposuit, cunctis ibidem dona sua offerentibus: indulgentia quadraginta dierum concessa et simili modo opere Ecclesiae beneficientibus, simili mercede constituta, quam largitionem pietatis praedictus legatus summum Pontificatum adeptus, proprio scripto confirmavit“.<sup>3)</sup>

Occassione hujusmodi elevationis SS. Martyrum crevit erga ipsos civium devotio et instituta est quaedam confraternitas, quae illorum cultum per diversas Hispaniae provincias magis magisque dilatavit, unde plures ipsarum monetarii convenerunt anno 1232 ad solvendam quotannis quamdam pecuniae summam pro victu ac vestitu monachorum, qui vicissim pro parte sua obstricti sunt ad facienda suffragia sacrumque offerendum pro illorum requie eum obitus alicujus eorum ad monasterium perveniret, in quo etiam ad sepeliendum eorum cadavera facultatem concesserunt. Praeterea devotione ac favore Regum per plura saecula in ea urbe regni metropoli residentium res monasterii prospere processerunt, nonnullaque alia Coenobia sibi subjecta quoque possedit.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> »España Sagrada«, loc. cit. pag. 360; XXXV, 10 Morales »Crónica«, lib. X cap. et lib. XVII, cap. XXIII. Sandoval, »Fundaciones«, n. 3. pag. 10; Yepes, I, 182; Argaiç, »Soledad laureada«, VI, 171.

<sup>2)</sup> Iuxta nostrum Sandoval hic Abbas postea promotus est ad Sedem Legionensem, anno 1208; Risco vero censet fuisse Archidiaconum ejusdem nominis. loc. cit. 281.

<sup>3)</sup> Sandoval, loc. cit. pag. 8 v; Yepes, 183 v; Morales »Viajes«, pag. 56.

<sup>4)</sup> Cf. Authores cit.

Sed praecipue laudandum est hoc Monasterium ob ex actam sancta Regulae observantiam, quae semper in eo maxime vigit, tum tempore quo Cluniacenses consuetudines observabat, tum quando Vallisoletanas aemulatum est. Etenim postquam ab illis recesserunt et exempti sunt a Martino V, tertio idus maji, Pontificatus sui anno octavo, monachi Legionenses anno 1417 perpetuam sponderunt inclusionem ad instar fratrum suorum Vallisoleti, quin tamen illis se subjicerent, etsi Praelatos ex eorum coetu acceperint et privilegiis eorumdem quoque potirentur ut ex Bullario Congregationis apparet.<sup>1)</sup> Anno 1446 tentata fuit aggregatio Coenobii Legionensis cum Vallisoletano, resque eo devenit ut Eugenius IV Bullam super hoc negotium ederet, quod tamen effectum non habuit usque ad annum 1513, cum jam multa alia Monasteria in Congregationem coaluerant curantibus praecipue Regibus Catholicis. Illo ergo anno Leo X ad instantiam Regis Ferdinandi, regnorum Castellae ac Legionis pro filia sua Ioanna administratoris, Bullam unionis expedivit die 19 Ianuarii, sicque desiderata hujus Coenobii aggregatio Congregationi Vallisoletanae effecta est.<sup>2)</sup> Ex eo tempore coeteris Monasteriis observantia praeivit, quae adhuc strictiori modo statuta servataque fuit apud S. Claudium, quamobrem in ipsa Congregatione eodem saeculo XVI selecta sunt nonnulla alia Coenobia, quae hujusmodi vitae rigorem sectarentur ut religio magis magisque in ea floreret; et monachi in eis degentes Recollecti vocabantur, quia ordinarie ad ea confluebant ii qui ab hominum consortio longius abesse desiderabant, propter quod remotiora loca petebant. Hinc valde mirandum quod Legionenses, juxta civitatem degentes, hujusmodi vitae genus instituerint illudque usque ad Congregationis extinctionem observare potuissent.<sup>3)</sup>

Aedificia Sancti Claudii non semel igne consumpta, ineunte saeculo XVI restaurata fuere claustrumque structurae forma Carrionensi parum dissimile; Ecclesia, quae anno 1582 iterum a fundamentis construi coepit, numquam perfici potuit, verumtamen pars constructa reputabatur velut exemplar classicae architecturae. Haec omnia disparuerunt saeculo XIX opera hominum libertatem canentium, et ita destructa sunt a novissimis hisce vandalis, ut vix locus eorum nunc inveniri possit.<sup>4)</sup>

<sup>1)</sup> »Privilegia praecipua Congregationis Sancti Benedicti Vallisoletani«, pag. 78 v, 86, 89, 90 v, 93, 96, etc.

<sup>2)</sup> Sandoval, op. cit. n. 3. pag. 10; Jeyes, I, 185; »Motivos legales«, pag. 439.

<sup>3)</sup> Yeyes, loc. cit.; III, 203. Aliquot annis suspensa est in S. Claudio haec recolectio, quia constitutum fuerat illuc transferre sedem Superioris Generalis, quod effectum non habuit.

<sup>4)</sup> Quadrado, »Recuerdos y Bellezas de España«, Asturias y Leon, pag. 365; »Diccionario geografico« etc. V, 391; Madoz, op. cit. X, pag. 185; Ponz, op. cit. XI, 221.

Conventus hujusce Domus ob vitae strictioris methodum mediocris apparet, atque initio saeculi XIX viginti duobus religiosis constabat. Ante actis temporibus nonnullos habuit, non solum virtutibus sed, doctrina et muneribus perfunctis valde claros, ut Claudius Tenorio, saeculo XVI plurium abbatiarum regimine insignis;<sup>1)</sup> Benedictus Baltodano, ad Sedem Nicaraguanam promotus an. 1620;<sup>2)</sup> Didacus Valcarcel (1645—49) et Ioannes de Solorzano (1697—701) Abbates Stae Mariae de Obarenes; Bernardus de Burgos (1685 et 1693) et Joannes Moriz, Regius Concionator (1717) qui Oventensem sibi conceditam habuerunt; Leander Raymunde (1709) et Ioannes Iñiguez (1785) qui Podiensem rexerunt; dum Paulus Varcancel et Bernardus Martin ad supremam Congregationis dignitatem pro meritis suis evecti fuera.<sup>3)</sup> Postremus Abbas Legionensis electus in capitulo anni 1832 fuit P. M. Placidus Oitaven, a Veade, Dioecesis Tudensis in Galloecia, qui habitum induerat apud S. Claudium die 25 Novembris 1806 et Cathedram vespertinam in Vniversitate Ovetensi tenebat an. 1828. Ex monachis supressioni superstibus tantum novimus Veremundum Garcia, omnium Legionensim juniorem, qui postea fuit Canonicus Ecclesiae S. Isidori ejusdem civitatis.

### § V.

#### Monasterium S. Petri de Exlonza.

Situm erat non longe ab urbe Legionensi in valle, qui dicebatur „Elisoncia“ unde vocabulum „Exlonza“ coenobio postea impositum, fuitque primo dicatum Sanctae Eulaliae Virgini et Sancto Vincentio Levitae. Tempus foundationis prorsus latet, quam ad tempora Wisigothorum refert Cl. noster Sandovalius, qui existimat abbatem illum S. Eulaliae, nomine Florentium, qui Concilio Toletano XI anno 675 interfuit, hujus Exloncensis Coenobii Praelatum fuisse, quod aliis non aridet, nec immerito cum alia plura Monasteria similis advocacionis extitisse proculdubio constat.<sup>4)</sup> Hanc mutasse creditur Elisonzia cum restauratum fuit a rege Garcia I, Alphonsi Magni filio, anno secundo regni sui, Christi

<sup>1)</sup> Yepes, III, 222 et alibi saepe, V, 36.

<sup>2)</sup> Argaiz, „Perla de Cataluña,“ pag. 481; Gams, »Series Episcoporum«, pag. 157; Hernaez, op. cit. II, 106.

<sup>3)</sup> Cf. Studien, 1907, pag. 543.

<sup>4)</sup> Sandoval, »Fundaciones«, n. 3. pag. 34; Aguirre, »Collectio maxima« . . . IV, 247. Yepes, II, 309v; IV 349. Celebre fuit illo tempore Monasterium S. Eulaliae Emeritensis de quo Paulus Diaconus in Vitis PP. Emeritensium saepe loquitur. Cf. Aguirre. op. cit. pag. 218, seq.; Florez, »España Sagrada«, XIII, pag. 335 seq.; P. L. LXXX, 122 Tamajus censebat hunc Florentium fuisse Abbatem Emeritensem, Florez vero Toletanum, quia in dicto concilio interfuisse tantum Patres hujus Provinciae. Vide pag. 236—37.

vero 912, in cujus diplomate, dato III Kalendas Decembris Erae DCCCL, dicitur quod „Basilica ab antiquis fundata esse dignoscitur“, deinde plura offert „eidem sanctae Ecclesiae vestrae pro subsidio fratrum in eodem monasterio vitam sanctam degentium“. <sup>1)</sup> Omnia haec confirmata sunt ab ejus fratre Ordonnio II, inter praecipuos Ordinis nostri benefactores computando, qui plura alia adjecit, quibus et numerus monachorum simul et observantia crevit, quapropter, cum translata est Cathedra Ecclesiae Legionensis, juxta quosdam auctores, Episcopus Fruminius ejusque capitulum ex monasterio Elisoncensi desumpti sunt, unde postea per multa saecula inter hoc Monasterium et praedictam Ecclesiam peculiaris quaedam confraternitas perstitit. <sup>2)</sup>

Floruerat valde hoc Elisoncense Coenobium toto saeculo decimo, cum regnante Beremundo III, nova maurorum incursio in Legionense regnum, contigit, quam ita describit Abbas Ordonnius, qui tunc Elisonciae praesidebat: „Excitavit, inquit, Dominus Deus furorem et bellum adversus Christianos et fuit super eos tempestas validissima, qualis non fuit ab initio saeculi; surrexerunt barbari et belligeraverunt contra eos, et propter peccata populi hujus venit super eos furor Domini tantus, ut neque civitas, neque ecclesia, neque monasterium aedificatum ubi Servi Dei commorarent, non remansit et coenaculum stratum inter ripam fluminis Stula et exinde alteram ripam fluminis Porma, et est ibidem vocabulo et ecclesia fundata in honorem sancti Petri Apostoli, dum ingressi sunt Sarraceni in terram istam et pergerent ad civitatem Legionensem ut destruerent eam sicut et fecerunt, tunc perrexerunt ad ipsum monasterium quem diximus de sancto Petro, ubi vocitant de Eslonza, destruxerunt ipsum monasterium et omnem substantiam ejus abstulerunt et igne eum combusserunt . . . nihil remansit super nos praeter animas nostras, neque boves, neque oves, neque equae, nec asinus, nec potus sed nec cibus, et devenimus ut animae nostrae jam ex toto deficerent.“ <sup>3)</sup>

Etsi, ergo, monasterium Exloncense illa tempestate a mauris destructum esset, nihilominus monachi salvi facti sunt, et ad eorum sustentationem et monasterii restaurationem, quamdam hereditatem vendere debuit Abbas die 25 novembris anni 988, ut fuse ipsemet in scriptura praefata refert. Ita coenobium paulatim revixit, sed qualiter toto sequenti saeculo se habuerit, non satis patet; hoc tantummodo novimus quod processu temporis, clerici ac saeculares

<sup>1)</sup> Sandoval et Yepes, loc. cit.

<sup>2)</sup> Primus qui hoc tenuit est Sandovalius, quem sequuntur Mariana et Yepes, contrarium tamen tenet probatque Florez, »España Sagrada«, XXXIV, 211.

<sup>3)</sup> Sandoval, op. cit. pag. 35; Cf. »España Sagrada«, XXXIV, 308; Escalona, »Historia de Sahagun«, pag. 49. Yepes, loc. cit. 350 v.

locum monachorum possederunt usque ad annum 1099, quo inde ejecti sunt ab Hurraca, Ferdinandi I Castellae ac Legionis regis filia. Ita constat ex charta dotationis, quam ipsa Elisoncae concessit II idus martii anni 1099, in qua plura continentur, quae ad Notitiam historicam attinent. Nam, praemissa devotissima ad Deum invocatione, quae maximam pietatem religiosissimae illius feminae ostendit, primordia hujus Coenobii narrat, nempe quomodo a tritavo suo Garcia restauratum fuerat et quidem sub Regula Sancti Patris Benedicti, et aedificata Ecclesia in honorem SS. Apostolorum Petri et Pauli,<sup>1)</sup> protinus subdit: „Sed quia in creaturis nihil immutabile, quoniam tu solus es immutabilis, Domine, hoc coenobium nescio qua causa urgente versum est in Clericorum seu Laicorum habitationem, donec ad me est devoluta haec possessio haereditaria sorte, quam . . . a me separo et tamen ea Deo offero ac redivivo honore ordino, scilicet monasterio ea readuno, Abbatemque in ea nomine Christophorum concordia fratrum simul et mea, benedictione Pontificali consecro, eamque monachis deservientibus semper servitutam confirmo, talique tenore eam tibi, Deus meus offero“ . . . Sic, dilecte Redemptor meus, Christe, pro expiandis criminibus nostris tibi hoc coenobium consecro, et pietatem supplicans adoro, ut me exiguam, quam pretioso redemisti cruore, regni tui facias participem esse. Adjicio etiam et offero his sanctis altaribus in honorem tui nominis tria alia monasteria, ut tibi servientibus nulla sit prorsus indigentia, Monasterium scilicet sancti Ioannis intra munitionem muri Legionensis juxta aulam sanctae Mariae situm<sup>2)</sup> . . . totum ab integro cum omnibus haereditatibus suis . . . monasterium sancti Adriani, quod est in montanis situm cum omnibus appenditiis suis totum ab integro eum qui calidas atque perspicuas emanat aquas, vetustus fundator balneare vocabulum indidit.<sup>3)</sup> adjicio quoque in Asturiis monasterium S. Joannis, quod vocatur Virvio, totum ab integro „cum omnibus servis et annalibus et cunctis haereditatibus suis.“<sup>4)</sup> Oblatis deinde nonnullis aliis rebus pretiosis, addit: „Offero etiam Libros XI, quorum nomina haec sunt: Bibliotheca; Moralia Iob, Vitas Patrum, Passionum, Dialogorum, Sententiarum, Genera officiorum, Librum Etymologiarum, Libellum de Virginitate Sanctae Mariae, Apocalipsim, Librum Hierem.“ Propter haec in Exlonzam singularia beneficia, hoc tantum humiliter poscit a monachis piissima femina; ut „mihi, inquit,

<sup>1)</sup> Ex hoc patet errasse Cl. Sandoval dum dicit advocacionem Ecclesiae fuisse mutatam ab hac Ferdinandi I filia. (pag. 34.)

<sup>2)</sup> Yepes I, 182; IV. 351 v; «España Sagrada», XXXV, 143.

<sup>3)</sup> fundatum an. 929. »España Sagrada« XXXIV, p. 219; Yepes, pag. 252, 355 seq.

<sup>4)</sup> Argaiiz, »Soledad laureada«, VI, pag. 73.

quandiu viva fuero hanc caritatem Abbas et monachi exhibeant ut cum eos videndi, vel causa orandi ibi venero Deum, servientibus meis annonam alimentorum praebeant.<sup>1)</sup>

Supradicta omnia confirmaverunt Alphonsus VI, Hurracae germanus frater, ejusque successores, qui et alia bona et privilegia pariter Exlonzae contulerunt, quibus novum roborem addidit Urbanus III, an. 1186, in cujus diplomate singillatim specificantur possessiones hujus Coenobii, post ejus enumerationem subdit Pontifex dicens: „Consuetudines etiam antiquas, libertates et immunitates eidem Monasterio rationabiliter concessas et hactenus observatas, ratas habemus et futuris temporibus illibatas permanere censemus . . . liceat quoque vobis clericos vel laicos a saeculo fugientes liberos et absolutos ad conversionem recipere et eos absque contradictione aliqua retinere. Prohibemus in super ut nulli fratrum vestrorum post factam in eodem loco professionem fas sit absque abbatis sui licentia de eodem nisi arctioris religionis obtentu discedere, discedentem vero absque communium litterarum cautione nullus audeat retinere . . .“<sup>2)</sup> Hae Bulla confirmatoria concessa fuit Abbati Martino de quo, aequae ac de successoribus suis, nihil aliud praeter nomina superest.

Quamvis Urbanus III decernebat „ut nulli omnino hominum fas sit praefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia integra conserventur, eorum pro quorum gubernatione ac sustentione concessa sunt usibus omnimodis profutura“; processu temporis parum aut nihil profecit, quia etiam hoc Coenobium a Pseudo — abbatibus Commendatariis invasum est, illudque retinuerunt usque ad annum 1513 quo, instante Ferdinando, Rege Catholico, Leo X unionem Congregationi Vallisoletanae jam a Iulio II decretam confirmavit.<sup>3)</sup> Cum ergo resignasset ultimus Commendatarius, designatus est Superior ex Vallisoletanis Martinus de Piasca, qui paulo post constitutus fuit Abbas Exloncensis, Monasteriumque gubernavit usque ad 1524, illud restaurare intendens, sicut et successores, qui toto dimidio saec. XVI fere unice in hoc adlaborarunt. Cum vero Congregatio videret aedificia pene destructa et ad regularia exercitia minus apta, statuit an. 1556 ut bona redditusque hujus Coenobii Collegio Salmanticensi assignarentur, tuncque abbatiali dignitate suppressa, Praesidem tantum nominavit, qui Conventum resque Monasterii dirigeret; verumtamen reclamantibus apud Philippum II civibus Legionensibus, omnia prout antea constituta erat, remanserunt,

<sup>1)</sup> Sandoval, loc. cit. 37—38; Yepes, IV, Append. Escritura XXXI pag. 455 v.

<sup>2)</sup> Yepes, loc. cit. Escritura XXXVII, pag. 456 v.

<sup>3)</sup> »Motivos legales« . . . pag. 394, 395.

et licet non multo post iterum intentatum est ut annexaretur Exlonza novae Abbatiae S. Martini Matritensis, numquam rex hoc permittere voluit.<sup>1)</sup> Tunc, ergo, Congregatio ibidem Collegium instituit pro scholasticis suis sacram theologiam repetituris, quod usque ad gallicam invasionem perduravit.<sup>2)</sup> Hæc ratione, ut in aliis hujusmodi domibus pauci semper monachi ex eadem professi inveniuntur, quinque enim tantum religiosi in Catalogo anni 1802 apparent, ex quibus unus solummodo sacerdos, coeteri fratres conversi erant. Nihil proinde mirum est si ejus Praelati ex aliis Monasteriis ordinarie assumerentur, ii tamen qui ad tantum munus idonei et virtute ac scientia in Congregatione universa clarebant, quemadmodum eorum Catalogus eloquenter demonstrat.<sup>3)</sup>

Primis temporibus gubernacula tractarunt Ioannes de Robles (1531—36) vir clarissimus, qui multorum etiam Coenobiorum curam habuit; Christophorus de Agüero (1569—74) et Benedictus de Gaona (1580—83) Congregationis postea Generales, sicut et Benedictus de la Serna (1633), Anselmus Mariño (1733), et Benedictus Camba (1765).<sup>4)</sup> Benedictus de Ribas (1645) et Maurus Colon de Larreategui ad Episcopales infulas assumpti fuere; hic enim Guatemalae Sedem (1703—1711), ille Portoricensem (1664—1668) occupavit.<sup>5)</sup> Postremus hujus Coenobii Abbas fuit P. Mag. Bernardus Morchon, ex monasterio Cellaenovae desumptus, qui antea Congregationis Visitor exstiterat, aliisque honorificis muneribus in ea perfunctis, eo tandem dignus inventus est a Patribus postremi capituli generalis (1832).<sup>6)</sup>

Ecclesia Exlonzensis, quam „anno 1547, die vero 9 mensis aprilis Didacus Lucius Abbas, et Joanne Badajoz architecto ab ipsis fundamentis erexit, perfecit vero et consecravit Carolus de Couvaren anno 1719,“ multis erat ditata sacris reliquiis, praeicipue vero corporibus Sanctorum Martyrum Hadriani et Nataliae, uxoris ejus, quae ex montanis de Boñal, ubi a priscis temporibus quiescebant, adsportare jussit anno 1602 Abbas Placidus Antolinez.<sup>7)</sup> Claustum Monasterii sub praedicto Abbate Didaco item inceptum complevit Abbas Ioannes de Villalpando (1583—86) eratque architectura Carrionensi et Legionensi valde simile.<sup>8)</sup> Monasterium, utpote in loco admodum paupere ac sterili situm,

<sup>1)</sup> Morales, »Viajes«, pag. 39; Yepes, loc. cit. 354; Sandoval, loc. cit. pag. 40.

<sup>2)</sup> Constitutiones, pag. 154 edit. Matrili 1671; pag. 2c6, edit. Matrit. 1706.

<sup>3)</sup> Partim editus apud Yepes, l. cit., partim apud Argaiz, »Perla de Cataluña«, pag. 403; reliqua pars inedita. pag. 40 v.

<sup>4)</sup> Studien, 1907, pag. 50, 51, 319, 330, 543.

<sup>5)</sup> Gams, 151, 162; Hernaez, II, 101.

<sup>6)</sup> »Studien«, 1908, pag. 78.

<sup>7)</sup> Yepes, IV, 354 v, 355, 358 v; Cuadrado, op. cit. »Asturias y Leon« p. 379.

<sup>8)</sup> Yepes, loc. cit. 354; Cuadrado, loc. cit.

plurimum semper profuit incolis circum vicinis, qui ob illam causam non mediocrem cibariorum patiebantur egestatem, quam large sublevabant monachi, ita ut ad id unice fuisse ibidem a Deo suscitatum videretur, quemadmodum rite observat clarissimus P. Yepesius.<sup>1)</sup> Totum miserrime abstulit perdiditque moderna libertas.

(Continuatio sequitur.)

## S. Anselm und Gaunilo.<sup>2)</sup>

Von (†) Dr. P. Beda Franz Adlhoch, O. S. B. (Metten.)\*

In jüngster Zeit bekam die aus früheren Jahrhunderten übernommene Kontroverse über Charakter und Wert oder Un-

<sup>1)</sup> Op. cit. 351 v.

<sup>2)</sup> Vgl. *Revue de philosophie* (Paris) 1909, 673—691. Nachstehend deutscher Originaltext.

\*) Ein schmerzvolles, tragisches Geschick hat die Veröffentlichung dieses Artikels betroffen. Der unseren Lesern aus seinen vielen Artikeln, welche er in den »Studien« seit Jahren veröffentlicht hat, bestbekannte Autor desselben P. Beda Adlhoch, O. S. B. a. Stift Metten, hatte der Redaktion bei Beginn dieses Jahres diesen Artikel für den laufenden Jahrgang zugesichert unter der Bedingung, daß derselbe nach Einlangen des Manuskriptes alsbald auch gesetzt werde. — Auf diese ihm gemachte Zusage bin kam vor 4 Wochen das Manuskript dieses Artikels hier an und wurde, der Erfüllung der Bedingung wegen, alsbald in Satz genommen. Ende März d. J. kam der fertiggestellte Artikel aus der Druckerei zurück und wurde, wie herkömmlich, alsbald dem Autor zur eigenhändigen Korrektur zugemittelt, jedoch mit Rücksicht darauf, weil einer seiner Herren Konfratres der Redaktion die Mitteilung machte, P. Beda sei leidend, unter gleichzeitiger Absendung eines Schreibens an den genannten Berichterstatter, es möchte die Korrektur, falls der Autor nicht im Stande wäre dieselbe selbst durchzuführen entweder von einem seiner hochw. Herren Mitbrüder im Stifte Metten besorgt, oder aber direkt wieder an die Redaktion zu diesem Zweck zurückgeschickt werden. Was die Redaktion befürchtete, war inzwischen geschehen, denn die Korrektur kam an uns zurück mit der Bemerkung: »Adressat heute gestorben«. — Den Redakteur der »Studien« traf diese Nachricht umso schmerzlicher, als denselben jahrelang die freundschaftlichsten und brüderlichsten Gesinnungen mit dem Autor verbanden und die »Studien« durch seinen Tod einen ihrer hervorragendsten Mitarbeiter verlieren. Wir werden nach Gebühr dem Andenken desselben im laufenden Hefte der »Studien« einen warm gefühlten Nekrolog widmen und empfehlen an dieser Stelle die Seele des nun in Gott ruhenden † P. Beda Adlhoch, der seinem heiligen Ordenspatron in Wort und Arbeit so getreulich nachahmte und mit seiner für die Pflege der Wissenschaft in unserem Orden stets begeisterten Feder in der Hand, wie der Soldat am Schlachtfelde, starb, dem warmen Angedenken im Gebete allen Ordensmitgliedern, sowie all denjenigen, welchen seine vielen tief durchdachten Artikel (vide General-Register zu den ersten 27 Bänden der »Studien« S. 1.) nicht nur Interesse und Freude bereiteten, sondern auch zu weiterem Studium anregten.

Stift Raigern, 9. April 1910.

Für die Redaktion der »Studien«  
Ph. Dr. Maurus Kinter, O. S. B.  
Stiftsarchivar.